

litteras simul excoluerit, adeoque ad mercatores eruditos sit referendus, pro certo affirmare nolo, sufficienti huius rei notitia destitutus. Hoc tamen ausim dicere, quod, sicut priscae gentes Mercurium & literis & simul mercaturae praeficiebant, ita is non de hac solum, sed de illis etiam promovendis egregie fuerit sollicitus. Curam autem vnice gerebat sacrarum, magno erga easdem amore incensus, hacque ratione sincerae pietatis, quam mente Numini sanctissimo dedita gestabat, documentum exhibebat gloriae sempiternae commendandum. Insignem quoque declarabat in dispensanda bonorum legitime acquisite parte prudentiam, scite iudicans, nullas melius collocari opes iis, quae divino honori & sanctioris reipublicae commodo augendo consecrantur. Laudat *Ioannes de Pineda* (11), laudant alii mercatoris regii, *SALOMONIS*, sapientiam, qua divitiarum per naves in longius distitas regiones missas partarum portionem haud exiguam magnifico templo, *DEI* honorandi causa exstructo, impendit. Absit, ut cum ipso *SALOMONE SCHABELIVM* omnino comparare studeam. In eo tamen quodammodo saltem conveniunt, quod & hic opes quasdam divina impetratas gratia vsui sanctiori fecerit sacras, ut conservaretur, porro exaedificaretur & defenderetur mysticum *DEI* templum, id est, coetus sanctior, cuius maximum merito censetur decus salutaris doctrina, & ea quidem, quae pura est, quae integra, quae incorrupta. Demonstrat istud sole clarius pia *SCHABELII* intentio, qua alumni suis sanctae veritatis custodiam, propagationem & adversus quoscunque hostes defensionem, serio iniunxit (12). Auctor huius rei suasorque haud dubie fuit Theologus immortaliter meritis, strenuus in militante Ecclesia bellator, *NICOLAUS HVNNIVS*, quem ad condendas Stipendii *Leges*, rogatu *SCHABELII*, admovisse manus,

(11) Lib. IV. cap. 4. de Reb. Salomon. p. 218 sq. Conf. Lib. V. cap. 5. p. 414.

(12) Ipsa e Testamento Schabbeliano verba, quae me hoc scribere iusserunt, exhibui in Meletem, de Stipendiat, Liter. Nebucadnez, §. 10.